Joh. Mulenus

De natura caloris

1594

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 210 [20,-127 4°]




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 210 [20,-127 4°]


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 210 [20,-127 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 210 [20,-127 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 210 [20,-127 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 210 [20,-127 4°]

20,-127 4°
(LN BIS 210)

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 210 [20,-127 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 210 [20,-127 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 210 [20,-127 4°]

33.

THESES DE NATVRA CALORIS.

20.-127

Quas

SVB PRÆSIDIO

CLARISSIMI EXPERIENTISSI-
MIQVE VIRI DN. *IOHANNIS OPSOPOEI,*
artis Machaonicæ in illuſtri & peruetuſta Hei-
delbergenſium Academia Doctoris &
Profeſſoris celeberrimi, ac pro tem-
pore ſpectabilis Decani, Præ-
ceptoris ſui officioſe
colendi

Publicè examinandas proponit

IOHANNES MVLENVS
OTHONIANVS DANVS.

Horis antemeridianis 2. Mart.
in auditorio Medico.

HEIDELBERGÆ,
Apud Abrahamum Smeſmannum.
ANNO cIↃ. IↃ. XCIV.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 210 [20,-127 4°]

Galenus de Placitis Hippocr. & Plat. lib. 8. cap. 9.

CVM incerta ſunt dogmata & rationum argumentis probabilia aliis, aliis abſurda videntur, ſicut ſuccenſendum non eſt ſi quis veras eſſe opiniones ſuas defendit, ita concedere vt alij nobis ipſis contradicant, debemus; at carpere mordaciter atque irridere quod dogmatice in controuerſiam venerit, illud vero eſt procacis hominis & petulantis.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 210 [20,-127 4°]

CLARISSIMIS RERVMQVE VSV PRÆSTANTISSIMIS VIRIS DN. ANDREÆ CHRISTIANO, ET DN. ANDREÆ CRAGIO Ripp. Medicinæ in alma & regia Hafnienſi Academia Doctorib. & Profeſſoribus ordinariis, amicis & præceptoribus ſuis plurimum ſemper honorandis S. D.

IOH. MVLENVS OTHONIANVS.

IN memoria etiamnum inſidet Viri humaniſſimi, quomodo olim ad indictam à vobis diſputationem Medicam audiendi & diſcendi ſtudio conueneram, in qua poſt multas alias difficiles motas & expeditas quæſtiones, etiam illa perobſcura & diſſenſionis plena D E *Natura caloris animalium innati, à vobis eſt agitata. Meminiq; te Clariſſime Domine D. Andrea Criſt. pro elementari acriter pugnaſſe, te vero Doctiſſime Domine D. Andrea Cragi pro cæleſti non minus ſtrenuè militaſſe. Sed quia hora diſputationi dicta iam tranſierat, propter amborum validiſſimas rationes non potuit res tota decidi. Placuit igitur illi ſuperſedere & in aliud commodius tempus reſeruare. Dimiſſo itaq; auditorio veſtro frequentiſſimo ego reſiduus cœpi collationem veſtram non ſecus ac nautæ quondam Sirenum cantus admirari, & vtri parti me adiungerem non parum ambigere. Tandem cum aduerterem quæſtionem eſſe in Medicina magni momenti, & diuerſimode intellectã alia atq; alia depoſcere artis principia, conſultũ fore exiſtimaui eam non prius animo deponẽdam quam quid veri falſi-*

falſi ve rei in eſſet perſpectum haberem. Studioſe ergo celebriorum medicorum de hac cœpi conſulere monumenta. Sed in tot tamq́; varia & diuerſa incidi eruditorum iudicia, vt rem vnam pluribus tractari poſſe modis vix putarim. In hac diuerſitate auctorum cum aliquantiſper dubius hæſiſſem, tandem omnium æqua lance libratis rationibus in illorum claſſem qui eſſentiæ & naturæ calores omnes eiuſdem eſſe pronunciant, argumentis inexplicabilibus conuictus lubens conceſſi. In qua ſententia vt vel omnino firmarer, vel veriorem ab eruditioribus edocerer, placuit eam, ſub præſidio amici veſtri publicè diſcutiendam proponere, nec non nomini veſtro clariſsimo inſcribere, partim vt ſi ſecus quam par ſit de hoc argumento ſentiam, ad meliora monſtrandum vobis occaſionem præberẽ: partim vt grati mei erga vos animi teſtificationem aliqualem relinquerem. Agite ergo, viri optimi, hoc exile ea humanitate & benignitate, qua ſemper alia omnia ſoletis, accipite ſpecimen, & veſtro id nomini conſecratum in publicum prodire patiamini. Sic vos Deus Trinus & vnus ſoſpites diu velit & ſeruet in veſtrum & patriæ noſtræ bonum. In amore mei vt cæpiſtis ſemper pergite amici. Heidelbergæ VII. Cal. Martij Anni 94.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 210 [20,-127 4°]

THESES
DE NATVRA CALORIS.

I.

FRvstra de calore natiuo omnium actionũ naturalium & animalium auctore diſputatur, niſi Caloris natura conſtet: quam propterea hiſce theſibus examinandam ſubiicimus.

II.

Calor eſt qualitas elementaris calcfaciendo ὁμόφυλα congregans, ἀλλόφυλα ſeparans.

III.

Qualitas eſt, tum quia ab eo ſubiecta calida fiunt & dicuntur, tum quia qualitatis conditiones, contrarium nempe frigus, & remiſſionem ac intentionem ſui, admittit.

IV.

Elementarem qualitatem dicimus, vt eius ſubiectum in quo hæret denotetur. Etenim calor quoque cœli & ſolis præcipue effectus eſt, elementorum tamen & eorum quæ ex hiſce conſtant, affectus eſt & accidens proprium.

V.

Quia vero nihil cuipiam accidentaliter ineſt quod ſecundum eſſentiam non inſit alicui primò & per ſe: ideo τὸ πρῶτον δεκτικόν, primum, proprium & naturale ſubiectum caloris ſtatuitur eſſe ignis. hic enim ſumma caliditate præditus eſt.

VI.

Ignis autem appellatur non tam hic noſter impurus & in aliena materia, lignis videlicet & ſtipulis ſuccenſus, quẽ Ariſt. propter ὑπερβολὴν καὶ ζέσιν θερμότητος generationi rerum inutilem eſſe ſcribit lib. 2. de gener. & corrupt. c. 3. quàm

puriſſimam, leuiſſimam, tenuiſſimam ſubſtantiam ſphæræ Lunæ proximè ſubiectam & in res inferiores diſſeminatam.

VII.

Poſt genus & ſubiectum differentiæ loco adduntur actiones caloris præcipuæ, prima & poſtrema.

VIII.

Omnium prima eſt calefactio, qua calor extra ſuum ſubiectum per medij alterationem in aliena, imò omnia mundi ſublunaris corpora ſe propagat, eaque ſibi ſimilia, hoc eſt calida reddit.

IX.

Calor enim non intentionalis qualitas eſt quæ ab alieno ſubiecto, ſimulatque ſubiectum eius proprium remotum eſt, nulla viriū facta impreſſione, aut ſui veſtigio relicto, recedit, ſicut lucidi corporis deceſſione lumen ab aëre & reliquis ſtatim abit, & imago hominis aut alterius rei in ſpeculo, aut oculi pupilla, re ſemota, non amplius apparet: ſed qualitas realis quæ medium & vicina corpora per ſe alterat, & in iis etiam poſt agentis receſſum remanet: vt calor aquæ aut aëri calefactis aut inſolatis inhæret, quamuis ignis & ſol abierint & calefacere deſierint.

X.

Omnium poſtrema ſeu ſumma & perfectiſſima caloris operatio eſt ὁμοφύλων congregatio & ἀλλοφύλων ſegregatio, qua quæ vnius naturæ ſunt in vnum coguntur, & quæ naturæ diſſimilis à ſe inuicem potentiſſime ſeparantur, ſingulis veluti in ſuam familiam deductis.

XI.

Sic enim ignis ex ligno cineres terræ, humorem aquæ, halitum aëri diſtribuit, ſibi ſuum ſumit, non autem, quod vulgus putat, ſeipſum corrumpit. Sic in muſti feruore calor fæces craſſiores & terreſtres deorſum, leuiores ſurſum pellit & à vino probo ſeparat: non ſecus ac in lacte calor crebra piſtilli agitatione excitatus butyrum pinguem & aëream ſubſtantiam à ſero aquoſo ſecernit.

XII.

Quæ reliquæ vires & actiones calori adſcribuntur, vt rarefactio,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 210 [20,-127 4°]

factio, attenuatio, dilatatio, condenſatio, fuſio, ſolutio, vnio &c. illi vel per accidens tantum competunt, vel ad dictas neceſſario conſequuntur.

XIII.

Caloris differentiæ præcipuè ſumuntur ab agentium quæ eo vtuntur formarum varietate; ab inexiſtendi modo; à graduum diuerſitate; & ab effectu.

XIV.

Ab agentium varietate, calor alius igneus, alius naturalis, alius animalis, alius cœleſtis, alius artificialis eſt: quia calor & ignis, & naturæ, & animæ, & cæli, & artis inſtrumẽtum eſt, cuius beneficio dicta agentia conuenienter vſa varias rerum formas & opera efficiunt, quæ nec calor per ſe, nec illa ſine calore vnquam præſtare poſſunt.

XV.

Igneus ille eſt, qui ſuæ formæ arbitrio relictus, nec à præſtantiori cauſa rectus, libere agit, & omnia inflammat, comburit & conſumit.

XVI.

Naturalis, qui ſui iuris amplius non eſt, ſed naturæ obtemperat vt materia & inſtrumentum, in miſtis corporibus congruenter mouendis, formandis, producendis, & conſeruandis: materia quidem, quatenus caloris maximè propriũ ſubiectum cum reliquis elementorum ſubſtantiis ad miſti conſtitutionem concurrit: inſtrumentũ vero, quatenus qualitas eſt maximè actiua, à contrariis tamen repreſſa & limitata, talẽ & tantam habet vim & actionem, qualem & quantam cuiuſque rei natura requirit.

XVII.

Animalis, qui animæ nutum ſequitur, & in animalibus ſua ſubſtantia & qualitate legitime temperatis ſubiectum & inſtrumentum eſt per quod anima corpori & primò ineſt, & omnes actiones, generationem, coctionem, nutritionem, auctionem, ac reliqua vitæ officia exercet. Πυρὶ γὰρ ἐργάζεται πάντα: & animam vegetatiuam absque igne naturali exiſtere impoſſibile eſt. Ariſt. lib. de reſpir. cap. 4.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 210 [20,-127 4°]

XVIII.

Cœleſtis, qui virtute corporis cœleſtis aut anima vniuerſi rectus agit, & non modo rerum generationi, ſed etiam corruptioni inſeruit, non ſecus ac reliquæ qualitates elementares, quibus tanquam inſtrumentis alterantibus proximis cauſa rerum omnium remotiſſima & agens vniuerſale vtitur. Cœlum enim mediante calore ex putrido fimo ſed diſpoſito animalia producit: item ſol & homo generant hominem, nempe ex materia idonea.

XIX.

Quod enim Ariſt. lib. 2. de animal. gener. cap. 6. de calore animalium innato ſcribit, quòd non quodlibet in carnē aut os commutet neque quomodolibet contigerit, ſed τὸ πεφυκὸς, ϗ ἣ πέφυκε, ϗ ὅτε πέφυκεν, idem omnino de cœleſti & reliquis intelligendum eſt.

XX.

Vt enim gallina diuerſis incubans ouis, vno eodemque calore ſingula calefacit, eiusque opera communi diuerſi fiunt effectus; (infæcunda namque putrefacit, fæcunda animat, itaque pullos, pipiones, anſerculos, anates & ſerpentes excludit pro ouorum natura) Ita cælum & ſol vniuerſam illuſtrans & calefaciens terram, aquam, & aerem, cuncta producit generabilia, tanquam cauſa vniuerſalis vſa communi caloris inſtrumento & peculiari cuiuſque rei natura.

XXI.

Artificialis, qui ab opificibus ad ſua opera perficienda adhibetur, & pro eorū diuerſitate varie temperatur. alius enim eſt ignis vel caloris gradus quo piſtor panem, aut coquus carnē coquit, alius quo figulus ollas indurat, alius quo faber ferrarius, alius quo ærarius, alius quo aurifaber ad ferrum, æs, argentum & aurum emolliendum vel fundendum vtuntur.

XXII.

Ab inexiſtendi modo eſt calor alius naturalis, internus, proprius, natiuus & inſitus, qui φύσει: alius non naturalis, externus, alienus & aduentitius, qui πάθει ineſt:

XXIII.

Φύσει in eſſe dicitur calor in propria ſua ſubſtantia ſeu ignis portione rebus immiſta inhærens & congruentem cum materia ſub-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 210 [20,-127 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 210 [20,-127 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 210 [20,-127 4°]